

Rursus ex Zacharia I, 12. discimus Angelum Domini pro Hierusalem et urbibus Iuda deprecari; atque ex Act. XVI, 19 virum illum macedonem qui Paulo in visione apprensus eundem orat, ut in Macedoniam transeat, Angelum fuisse qui illi genti praepositus esset, docet Origenes in Lucam hom. 42. « Posuit Deus in Ecclesia Apostolos, prophetas, evangelistas, pastores, doctores; omnia in perfectionem sanctorum. Et haec quidem sunt dicta simplicius. Ceterum si ad sacriorem oportet ascendere intelligentiam, dicam quosdam fuisse pastores Angelos, qui res humanas regerent... Verbi gratia, ut ad exemplum veniam: erat quidam pastor Macedoniae, hic necessarium habebat auxilium Domini: propterea apparuit in somnis vir Macedo Paulo dicens: Transiens in Macedonia adiuva nos... Vere gaudium magnum his, quibus hominum et provinciarum cura commissa, fuit Christum venisse in mundum. Multum utilitatis accepit Angelus qui dispensabat res Aegyptias... profuit et cunctis qui diversas provincias obtinebant, verbi gratia, praesidi Macedoniae, praesidi Aethiopiae, reliquarumque regionum.» Cf. Ambrosium in Luc. L. II. Et sane si contextum loci illius ex Actibus spectes, probabile certe est virum qui apparuit Angelum Domini esse, sensit enim Paulus ex verbis eius voluntatem Dei esse ut iret in Macedoniam; cum vero ille dicat Paulo: *adiuva nos*, manifeste ostendit ad se Macedonum curam spectare, seu Angelum esse praepositum illi nationi. Unde et Nazianzenus hom. 32. Angelos appellat quibus « huius urbis cura commissa est; neque enim (subdit) mihi dubium est quin alii aliarum Ecclesiarum praesides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes me docet. » Dionysius pariter Cael. hier. c. 9: « Theologia nostra hierarchiam Angelis attribuit, cum populi Iudaeorum principem Michaellem appellat, aliosque aliarum nationum; statuit enim Altissimus terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei... Una quidem de omnibus Altissimi providentia omnes homines, salutis causa, Angelis suis ad se deducendos distribuit. » Clemens Alex. Strom. L. VII. « Hic (servator) est qui dat Graecis sapientiam per inferiores Angelos, sunt enim iussu divino et antiquo per gentes distributi Angeli. » Auctor Recognitionum s. Clementis Lib. II, n. 42. haec Petrum loquentem inducit: « Est unuscuiusque gentis Angelus, cui credita est gentis ipsius dispensatio a Deo. » Theodoretus in Genes. q. 3. « Quin etiam cuique genti proprium Angelum praesesse affirmat Scriptura. Qui enim cum Daniele loquitur, et Principem Persarum nominat, et Principem Graecorum, et Michaellem principem Iudaeorum. » Damascenus De Fide 2. 3. « Qui etiam, prout a Deo destinati et collocati sunt, certas quisque terrae partes custodiunt, gentesque et regiones gubernant nobisque opem ferunt. »

Gentibus ergo, nationibus, civitatibus sunt Angeli praepositi qui eas ad Deum deducunt. Cum autem haec praefectura Angelorum ad ordinem supernaturalem modo spectet, ergo et Ecclesis ex singulis gentibus adunatis praesunt Angeli; ut Nazianzenum audivimus, et Origenes quoque testatur hom. 4. in Lucam « Ante adventum Domini Salvatoris, Angeli parum poterant creditis sibi utilitatis afferre, ... nunc autem populi credentium accedunt ad Iesum, et Angelos, quibus credita fuerunt Ecclesiae, roborat praesentia Salvatoris, multos adducunt proselytos, ut congregentur in omni orbe conventicula Christianorum. »

Notandum est Patres plures hanc Angelorum praefecturam probare ex Deuter. XXXII. 8. Constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei, quemadmodum legunt Septuaginta; cum in hebraico textu habeatur id quod Vulgata exhibet: iuxta numerum filiorum Israel (cf. Isidor. Pels. l. c.). Perperam vero ex hoc quis argueret sententiam de Angelis praesidibus nationum, utpote innixam falsae interpretationi, reiiciendam esse. Nam 1) non ille tantum locus Deuter. affertur a Patribus, sed Danielis quoque et Actuum profertur. 2) Praeter Scripturam praesto erat Patribus alia via veritatem hanc cognoscendi: unde cum hanc doctrinam iam traditione tenerent, factum forte est, ut interpretationem septuaginta virorum amplexi sicut citra ullam suspicionem falsitatis, quia conformis illis videbatur doctrina de praefectura Angelorum, quam aliunde novebant. Ceterum 3) idem Hieronymus, qui in Deuteronomio probat hebraeorum lectionem; in commentariis ad 7 capit. Danielis adhibet interpretationem graecam, eaque confirmat doctrinam communem, Angelis nempe regna esse commissa.

IV. Quaeri potest 1) generaliter utrum Angeli deputentur in custodia particularium hominum; h. e. prout homines sunt particulares personae, quae propriis quaque actibus finem suum consequi debent; 2) speciatim a) utrum ne dum fideles sed et infideles commissi sint Angelorum custodiae; b) utrum singulis hominibus sint singuli Angeli attributi. Distinguenda haec sunt certa a minus certis. Certum est, et tanquam dogma catholicum a Theologis habetur particulares homines esse sub Angelorum tutela. Cf. Suarez de Angelis L. VI. c. 17. n. 6. Perrone de Angelis c. 3. Cetera non aequae certa habentur, licet in partem affirmantem communis Theologorum consensus concesserit.

Itaque 1^a quaestioni responsio est affirmativa; eamque probat consensus fidelium qui suos Angelos reverentur, et Ecclesiae praxis in cultu Angelorum custodum. Eius praeterea probatio in praecedentibus continetur; cum enim Angeli civitates et nationes prote-

gunt, tœnent et regunt, non profecto muros, sed homines custodiunt ad eum finem ultimam obtinendum cuius assecutio est propria singulorum. Eos ergo custodiunt etiam ut sint singulares personæ. Ad eam magis confirmandam faciunt testimonia Hebr. I, 14; Psal. CX. 11. 12. Angelis suis Deus mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis etc. Psal. XXXIII. 8. Immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Lucae XVI, 22. Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Apocal. VIII. 3. S. Alius Angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei. Iudith. XIII, 20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus eius et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem. Fatendum est hæc testimonia (excepto primo, de quo mox) discrete non loqui de omnibus omnino hominibus. Nihilominus, ut ad 2^o quæst. gradum faciamus, si Scripturæ testimonia in præcæntibus allata simul cum his conferantur, unaque spectetur doctrina Patrum, et testimonium Pauli penitus inspicitur, affirmare possumus ab ipsis Scripturis et Patribus rationem suppeditari ut ad omnes omnino homines sive fideles sive infideles Angelorum tutela pertinere iudicetur. Etenim 1) ut iam vidimus, Scriptura significat Angelos tutores esse nationum nedum fidelium, qualis erat hebraea natio, sed infidelium, cuiusmodi erant Persæ et Graeci, hancque tutelam ad omnes nationes et gentes Patres extendunt. Cum ergo Angeli custodientes nationes custodiant homines, custodiunt ergo homines infideles, cum nationes sunt infideles; ideoque est Scripturæ et Patribus conforme arbitrari homines infideles Angelorum custodia non esse destitutos. Quod Hilarius quoque docuit, affirmans Angelos, qui nos custodiunt, esse missos *ad salutem humani generis*, in Psal. CXXXIV. n. 17. « Sunt Angeli parvulorum quotidie Deum videntes. Hi igitur spiritus ad salutem humani generis emissi sunt; neque enim infirmitas nostra, nisi dati ad custodiam Angelis tot tantisque spiritalium caelestium nequitiis obstiteret. Opus ad id fuit naturæ potioris auxilio. » Sane advertatur 2) testimonium Pauli ad hebraeos I, 14: Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui *hereditatem capiunt salutis*, ita ex graeco (*δια τους μελλοντας αληρονομει σωτηριαν*) verti posse: qui capturi sunt hereditatem salutis, aut etiam, qui debent capere (qui destinati sunt ad capiendam) hereditatem salutis. Iam vero prima versio coarctaret custodiam Angelorum ad eos solum qui actu salvantur, quod probabile non est, nam multi iusti et fideles qui deinceps non salvantur, excluderentur a beneficio Ange-

licæ tutelæ; quod dissonum est a doctrina Scripturæ et Patrum. Ergo non de iis tantum, qui actu salvantur, loquitur Paulus; igitur de iis loquitur qui sunt destinati ad salutem; quæ est altera interpretatio. Hi autem destinati ad salutem sunt omnes omnino homines; ergo. Hæc porro interpretatio doctrinam exhibet, quæ prorsus cohaeret cum superiore, nempe nationes quoque infideles suos habere Angelos tutores, ut Scriptura et Patres docent. Id 3) confirmatur auctoritate eorum Patrum qui discrete docent singulis hominibus Angelos in custodiam deputari, quod et ab ipsa Scriptura satis indicatur. Etenim Matth. XVIII, 10. Christus ait: Angeli eorum (passillorum) in caelis semper vident faciem Patris. *Angeli eorum* sunt Angeli proprii cuiusque, quisque ergo ex his habet Angelum suum. Cf. Act. XII, 15. Ex Patribus Hieronymus in illum Matthæi locum ait: « Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum delegatum. » Theodoretus in Genes. q. 3. ex eodem loco collato cum loco Danielis X, 13. colligit: « si ergo hic istis, ille vero illis praefectus est; singuli vero homines sub unius cura degunt, certum est Angelos circumscriptæ esse substantiæ. » Tertullianus Lib. De Anima c. 37. homines in utero serendi, struendi, fingendi paraturam divinis officiis h. e. Angelis vult commissam. Nota sunt Bernardi verba Sermone 12. in Psal. XC. « In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. » Suadetur rursus 4) consensu theologorum: « Dicendum est, ait Suarez de Angelis L. VI. c. 17. n. 14, non solum iustos, sed etiam peccatores, neque solos fideles, sed etiam infideles, neque solos baptizatos, sed etiam non baptizatos, habere Angelos custodes. Hæc est communis sententia Theologorum. » Id tandem suadet ratio theologica, quæ ex benignissima Dei providentia desumitur. « Ratio, ait Suarez l. c. n. 7., huius veritatis ex sola Dei providentia, et mirabili dispositione et dilectione erga homines sumenda est. Item ex hominum necessitate, propter daemoneum impugnationem, » quæ ratio a Patribus affertur. Nysenus in Cant. hom. 7. « Existimo eam turrim (Cant. 4. 1) clypeorum multitudine significare angelicam praesidium, quo circumscripti sumus. Ostendit autem etiam hastarum mentio eum sensum. Non enim absolute dixit hastas, sed fortium adiectione ostendit eos qui pro nobis depugnant. » Cyrillus Alex. cont. Iulianum L. IV. « Virtutes sanctas et rationales ortum ab eo nactas... nobis iniuriam passis (a diabolo) opitulari iussit (Deus); non quod servando impar foret: qui enim aut unde? Sed non secus ac rex aliquis suis satellitibus mandat barbarorum incurSIONIBUS resistere, et subditorum cupiditates comprimere, castrametabitur, inquit, Angelus Domini in

circuitu timentium eum, et liberabit eos... Hi implacabiles a nobis bestias abigunt, et illorum crudelitate captos eripientes docent plenum ac molle iter facere ad quodvis honestum et laudabile. » Et re quidem vera, quemadmodum permittit Deus hominem impugnari a fortiore se, qualis est Daemon, ita suavitati divinae providentiae congruebat, ut eum extrinseco aliquo adiutore muniret, quocum facilius posset contra tantum hostem dimicare. Atqui haec ratio valet in omnibus et singulis hominibus, imo magis in peccatoribus et infidelibus, quam in iustis et fidelibus; ergo. Hinc custodia Angelorum computatur a Theologis inter ea dona gratiae quae communia sunt omnibus hominibus, quaeque nulli propter peccatum denegantur. Cf. Suarez ibid.

Itaque, ut 2^a quaestioni absolvamus, advertendum est non paucos quidem esse Patres, qui, cum de hac hominum tutela per Angelos loquuntur, discrete memorant tantum iustos aut fideles, atque aliquos etiam esse qui docere videntur Angelos recedere ab hominibus cum peccant. Verum primorum testimonium non est per se exclusivum; atque accipi potest de speciali tutela quam erga fideles et bonos Angeli exercent, quatenus e. g. iuxta sententiam quorundam Patrum pro fidelibus aut iustis *singulis* sint *singuli* Angeli destinati, secus ac pro aliis; ut indicare videtur Chrysostomus hom. 3. in epist. ad Coloss. Aliorum autem testimonium accipi potest item de cessatione specialis auxilii, cuius indignos se exhibeant peccatores. Ratio huius interpretationis petitur ex ea communi doctrina Patrum, quam superius explicavimus.

V. Ad 3^{am} quaestionem quod spectat, tenet quoque generatim theologi singulis hominibus *singulos* Angelos deputari in custodiam; quod ex iis colligunt quae sub numero 3^o p. praeced. posita sunt; quibus addi potest Basilii testimonium, qui licet de fidelibus solum loquatur, vult tamen singulis singulos Angelos deputari. Cont. Ennom. I. 3. « Quod unicuique fidelium adsit Angelus tanquam paedagogus aliquis et pastor vitam gubernans nemo contradicit, qui verborum Domini meminert. Ne contemnatis etc. »

VI. Non possumus huic quaestioni finem imponere nisi prius declaremus quodammodo officia huius Angelicae custodiae. Cum finis custodiae Angelorum sit assecutio finis supernaturalis, actiones Angeli custodis versantur primo circa commoda spiritualia, deinde circa corporalia vel temporalia prout conducere possunt ad assecutionem finis. Ita autem versantur ut sint veluti executores divinae providentiae erga homines; unde sequitur quod quemadmodum ea non impedit exercitium liberi arbitrii et peccati, id neque a custodia Angelorum sit expectandum. Circa spiritualia duplex actio An-

geli potissimum spectari potest, prima, qua extrinseca incitamenta et pericula peccati a nobis avertit, Daemonem speciatim coercendo ne tentet, aut ne tam graviter tentet; altera qua nos adiuvat interiorius, excitando bonas cogitationes bonosque affectus. Praeter haec, pro nobis apud Deum intercedit, nostrasque preces suis quoque precibus comitatur Deoque offert. Quaeres quomodo possit Angelus illuminare hominem. Respondeo: immediate agendo in organum phantasiae, ut excitentur ea sensibilia phantasmata quibus intellectus determinetur ad cogitandum quod vult Angelus suggerere, et ita excitetur ad volendum quod Angelus vult eum velle. » Connatrale est intellectui humano, ait s. Thomas q. CXI. a. 1. ut intelligat per conversionem ad phantasmata: et ideo intelligibilem veritatem proponunt Angeli hominibus sub similitudinibus sensibilibus. » Non est autem necesse ut homo advertat hanc Angeli operationem, quae sensibilis non est. Monendum est Angelum regere hominem eo modo quod decet liberos suae iuris regi; unde propter malam hominum voluntatem haec duo componi possunt, et Angelorum custodia, et hominum casus in tentationibus, atque peccata. Cf. Suarez ibid. c. 19.

COROLLARIUM. Collatis iis quae diximus in Th. XVII, et quae in hac dedimus ex Scripturis, evidens est satis id quod ultimo loco asseruimus in Thesis enunciatione.

Thesis LXIII.

Ad Angelos malos quod attinet, constat Satanam eiusque angelos inimicos esse humanae naturae, hominesque ad malum sollicitare, eosdemque malis quoque physicis affligere: et speciatim constat daemones vere existisse.

1. Collatis testimoniis Gen. III, 1 seq. Apocalyp. XII, 7. 8. 9; XX, 2; I. Ioan. III, 8; Lucae IX, 48; Ioan. VIII, 44 constat eum, de quo ibi agitur, eundem esse, et esse personam determinatam; nam proprio nomine appellatur ὁ Σατανᾶς, ὁ Διabolος, qui dicitur peccasse, homicidam esse, seduxisse primos genitores, et seducere gentes, patrem esse eorum qui veritati reluctantur, cecidisse de caelo, ligari in abyso; atqui haec sunt operationes et passionis personae. Serpens est eius symbolum, quia serpens fuit primum medium, quo cum hominibus communicavit. Ex his operationibus liquet ipsum esse intelligentem, ideoque spiritum. Non est autem homo, quia et dicitur cecidisse de caelo, et opponitur toti generi humano, cuius est homicida, et connumeratur aliis Angelis tanquam eorum princeps: *Draco et Angeli eius*: ergo spiritus est purus, sicut de Angelis probavimus.

Constat Satanam esse inimicum humanae naturae, nam eam toto seductione primum parentum perdere voluit; id eius nomen *Satm* et *Diabolus* manifestat, est enim adversarius noster, ut ait Petrus Epistola I^a V, 8, et accusat fratres, qui eum vicerunt propter sanguinem Agni, ut ait Ioannes Apoc. XII, 10; idem probat appellatio *homicidae*, quam Christus ei tribuit Ioan. VIII, 44; quod et sententia evincunt. Quod vero de Satana dicitur, liquet intelligendum esse quoque de angelis qui eum sequuntur; nam satis constat plures esse spiritus malos qui homines vexant, nec unum simul omnia praestare posse.

Constat Satanam opus inchoatum perditionis humanae ingiter prosequi, multipliciter homines impugnando. Nam et eorum intellectum ad errorem, et eorum voluntatem ad flagitia pervertere studet. Sane mendax ipse dicitur a Christo, et mendacii pater Ioan. VIII, 44. ipse rapit bonum verbum seminatam in corde hominis Matth. XIII, 49 coll. Luc. VIII, 12; ipse ut facilius decipiat, transfiguratur se in Angelum lucis 2. Cor. XI, 14; ipse excacat mentes infidelium 2. Cor. IV, 4, atque seducit universum orbem Apocalyp. XII, 49; cuius seductionis scopus, quem Diabolus intendit, sunt peccata, ut per se manifestum est. Hinc dicitur expellere homines ut a fide Christi desciscant Luc. XXII, 31; tentare homines ut Deo mentiantur, Act. V, 3; insidiari hominibus Ephes. VI, 11. Hinc qui peccatum faciunt dicuntur esse ex diabolo, 1. Ioan. III, 8; ambulare secundum ipsum Ephes. II, 2; esse de synagoga Satanae Apoc. II, 9; esse filios eius Ioan. VIII, 44; Act. XIII, 10, quia nempe peccando homines desideria eius volunt facere eique adhaerent.

Verum non tantum quoad animam, sed et quoad corpus vexat homines, eosque crudeliter persequitur non quidem omnes singillatim, sed generaliter quatenus illi permittum est. Id liquet ex historia Iobi, et, aliis omissis, ex tot daemoniacis, de quibus in Evangelio sermo est. Matth. VIII, 16. 34; IX, 33; XII, 22; XVII, 14 seq. (Cf. Marcum IX, 17 seq.); Luc. IV, 34 (Cf. Marc. I, 23); VIII, 27; IX, 38 seq.; IX, 2; X, 17; XIII, 11; Act. XIX, 12, 13. Iam vero quod hos daemoniacos dupplicem calumniam passa est Veritas increata. Priorem nempe a Pharisaeis, qui Christum aiebant eicere daemonia in Beelzebub; alteram a modernis rationalistis, qui volunt quod Christus, licet sciret se non. daemonia eicere, sed morbos aliquos curare, fallaci tamen accommodatione usus errorem indaeorum sua perpetua ratione agendi permiserit, imo probaverit. Qua in re superbi isti critici ne dum Apostolos, sed et Pharisaeos adversarios habent, ipsamque Diabolum, cuius patrocinium susceperint, cum eundem negant. Itaque de his daemoniacis aliquid breviter dicendum.

II. Daemoniacus, qui et *possessus* sive etiam *obsessus a daemone* dicitur, ille est cuius corpus Daemon occupat, suae vi subdicens constanti quadam usurpatione, illudque violenter movet ac vexat, sive ipsum intus invadens (in sessio), sive exterius exercens (obsessio). Possessio haec est malum quoddam physicum, et frequenter cum aliqua infirmitate coniunctum. Hinc fit ut possit cum aliis physicis malis et infirmitatibus connumerari, et ab Evangelistis aliquando connumeretur. Luc. III, 21; VIII, 2. Matth. XII, 22. Sed quia est speciale malum ex speciali causa originem habens, hinc et ab iis malis, quibus connumeratur, distingui potest tum speciali nomine tum specialibus characteribus, quemadmodum Evangelistae faciunt. Ex qua simplici animadversione patet nihil esse ineptius hoc argumento: daemoniaci connumerantur cum aliis aegrotis, quorum morbi sunt prorsus naturales atque curari dicuntur; ergo et daemonum possessio non est nisi aliquis morbus naturalis. Nimirum possessio daemonis et aliae infirmitates conveniunt in hoc, quod mala sint et mala physica, et praeterea possessio frequenter secum ferat veras infirmitates. Imo etiam conveniunt in hoc, si res secundum intellectum catholicum considerentur, quod omnia sint poena peccati, originemque suam mutantur a diabolo, ob cuius invidiam, sicut mors, ita ceteri morbi intraverunt mundum. Adest ergo ratio cur possint daemoniaci connumerari cum aliis infirmis qui una cum ipsis dicuntur curari. Quaestio ergo est: utrum malum hoc physicum quod in Evangelistis tanquam possessio daemonis representatur, sit malum distinctum ab aliis malis physicis, et distinctum propter hoc, quod reapse spiritus aliquis nequam possideat corpus hominis, illud invadens aut exercens ipsumque vexans. Responsio affirmativa ita probatur.

1) Certe aetate Christi haec erat opinio Indaeorum, quam neque Rationalistae inficiantur, qui volunt Christum se accomodasse eorum opinioni. Huius opinionis certa argumenta suppeditant sive turbae, quae, daemoniaci liberato, dicunt stupentes: quidnam est hoc? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei; Marc. I, 27; sive ii qui Christo afferbant habentes daemonium, atque dicebant, quod spiritus apprehenderit eos, Luc. IX, 38; sive Apostoli, qui gloriabantur, quod etiam Spiritus subicerentur eis Luc. X, 7. (Ea vocula etiam emphasim habet, atque hunc sensum facit: non tantum infirmitates curamus, sed, quod mirabile maxime est, spiritus quoque, qui altioris sunt ordinis vimque nostram naturalem excedunt, potestati nostrae subiciuntur.) Suppeditant rursus Pharisaei qui, eiecero daemonio a Christo, aunt ipsum in principe daemoniorum eicere daemones. Mat. IX, 34. et iterum, in Beelzebub princi-

pe daemoniorum eicere daemones Mat. XII, 24. Solebant enim magi seu incantatores adversus malos spiritus, ubi omnia tentando nihil proficissent, uti vi ac potestate principis Daemonum, per hunc illos adiurando, eius etiam nomine arcano enuntiato. Ita se gessissent Christum calumniabantur Pharisaei; quod erat Christo opera magiae adscribere. Daemones autem eieci, qui principem habent, qui vocatur Beelzebub, quod est nomen numinis Philistaeorum, quem Christus deinceps vocat Satanam, cuius potestate dicuntur eieci, non sunt certe morbi, sed personae. Suppeditat argumentum Iosephus in Archeol. L. VIII. c. 2. haec de Salomone narrans « Concessit ei (Salomoni) etiam Deus ut disceret artem contra malos daemones ad utilitatem et curationem hominum. Et cum incantationes composuisset quibus leniantur morbi, etiam formas adiurationum reliquit, quibus victa daemonia ita eiciunt, ut nunquam revertantur. Atque hoc sanationis genus etiamnum apud nos plurimum valet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum coram Vespasiano et filiis eius et tribunis reliquisque militibus, ex daemoneum potestate ab iis obsessos liberare. Modus autem istius curationis (θεραπειας) erat talis. Nasi daemoniaci admoto annulo, cuius palae inclusa erat una ex iis radicibus, quas indicaverat Solomon, paulo post ex naribus odorantis extraherat daemoneum. Tum homine statim collapso daemoneum adiurabat ne in hunc postea reverteretur, Salomonis interim mentionem faciens, et incantationes ab eo compositas recitans. Porro volens Eleazarus illis qui aderant persuadere manifestumque facere quod hanc vim habuerit, non longe inde collocabat aut poculum aqua plenum aut polubrum, daemoneumque imperabat, ut ex homine egrediens illa everteret, faceretque ut adstantes intelligerent quod hominem reliquisset. Hoc autem revera facta, palam erat Salomonis sapientia et scientia ». Habes ergo Iosephum distinguentem morbos a possessione daemonis; habes descriptam hanc possessionem verbis aptissimis et propriis; dicuntur enim obsessi liberari a potestate daemonis, daemoneum egredi ab homine, daemoneum, liberato iam homine, adiurari ne amplius revertatur, daemoneum egressum ab homine signa extrinseca dare, evertere poculum. Porro quidquid sit de veritate facti, de quo nulla est ratio cur dubitemus, etsi credere non teneamur haec a Deo edoctum esse Salomonem; certum est aetate Iosephi hanc opinionem fuisse penes Iudaeos, daemones possidere corpora; imo hanc opinionem semper in synagoga viguisse saltem ab aetate Salomonis; ait enim: hoc sanationis genus etiamnum apud nos perseverat; ideoque et opinio eius mali, quod ea methodo sanabatur, perduravit semper. At praeter Iosephi testimonium, alii quoque sunt testes qui hanc persuasionem Iudaeorum, et exercitium

huius potestatis non profanum sed sanctum penes eos fuisse testantur primis Ecclesiae saeculis, ex quorum testificatione patet quosnam Christus voluerit significare cum respondens Pharisaeis ait: Filii vestri in quo eiciuntur? Itaque Iustinus in Dial. cum Triphone ait n. 88. « Si exorcizetis per nomen cuiusvis regis aut viri iusti aut prophetae, eorum qui apud vos fuerit, nullus daemoneum ei obediat, at si quis exorcizet per Deum Abrahami et Deum Isaci et Deum Iacobi, credo, obediet. » Irenaeus l. II. c. 3: « Altissimi et omnipotentis appellationi omnia subiecta sunt: et huius invocatione etiam ante adventum Domini nostri salvabantur homines et a spiritibus nequissimis et a daemoneis universis... Et propter hoc Iudaei usque nunc hac ipsa adfatione daemones effugant, quando omnia timeant invocationem eius qui fecit ea ». Narrat Origenes in 1. contra Celsum n. 22. aegyptios incantatores inseruisse suis invocationibus haec verba: *Deus Abraham Isaac et Iacob*, nescientes tamen quoniam isti viri essent. Id scilicet a Iudaeis acceperant, qui ea invocatione sancta utebantur; sed abusi sunt ea profanae gentes.

Certum est pariter ex narratione Iosephi liberationem a daemone possidente, consuevisse penes Iudaeos vocari *curationem, sanationem*. Ex his omnibus liquet opinionem, quam diximus, viguisse penes Iudaeos aetate Christi.

Iam vero Christus tum dietis suis tum factis hanc opinionem probavit, ratamque habuit. Sane Christus daemones appellat, praecipit daemoneibus exire ab hominibus, eos aliquando interrogat, modo iubet eos tacere, permittit eis porcorum gregem invadere; atqui haec sunt facta quae persuasionem existentiae daemoneum possidentium corpora hominum supponunt et confirmant. Rursus Pharisaeis calumniantibus (Matth. XII, 25. coll. Luc. XI, 14. 23. Marc. III, 22. 30) eum in principe daemoniorum eicere daemones non negat se eicere daemones, sed negat se id facere potestate Satanae, sive negat Satanam eieci a Satana: quibus verbis confirmat Satanam esse qui eicitur; ait enim Mat. XII, 28: omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. Et si Satana Satanam eiecit, adversus se divisus est; quomodo ergo stabit regnum eius? Haec argumentatio continet hanc affirmationem: Satana regnum habet, subdit ei sunt ii qui expelluntur a corporibus; ergo horum existentia a Christo affirmatur. Neque dici potest haec sumere Christum hypothetice ex opinione scilicet Pharisaeorum et arguere tantum ad hominem: nam absolute haec affirmare Christum fit ex eo evidens quod inde concludit: conclusionem enim Christum absolute affirmat, unde liquet et antecedens absolute affirmatum esse. Nam primo cum sic Christus arguisset: et si Ego in Beel-

zebul eiecio daemones, filii vestri in quo eieciunt? ita concludit: ideo ipsi indices vestri erunt: quod de re absolute futura patet dictum esse, illos scilicet ex iudeis qui daemones virtute Dei eiecerant, propter hoc ipsum indicaturos esse Phariseos, sive ex iis iudicandos esse Phariseos a Deo: tale autem iudicium nullum esse posset, si daemonicam non existerent nisi in imaginatione Phariseorum; horum ergo existentia vere affirmatur. Deinde cum Christus probasset dici haud posse quod ipse in Beelzebub eieciat daemones, sed oportere dici quod in Spiritu Dei eiciat; infert: si autem ego in spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Jam vero in hoc argumento Christus absolute affirmat antecedens (quod nimirum perinde est ac: quoniam ego in Spiritu Dei eicio daemones); nam primo ipsum est ratio certitudinis consequentis, quod absolute verum erat, et non nisi certis ex se argumentis decebat demonstrari a Christo. Deinde Christus manifeste docet eos qui dixerant ipsum in Beelzebub eiecere daemones, blasphemasse in Spiritum S.; haec enim verba: ideo dico vobis: omne peccatum blasphemiae remittitur hominibus, Spiritus autem blasphemiae non remittetur (Matth. 1. c.) ideo Christus protulit, quia, ut testatur Marcus 1. c. dixerant de Christo quod spiritum immundum habet, sive ut patet ex loco parallelo ibid., quod Beelzebub habet, et in principe daemoniorum eiecit daemonia. Atqui haud vera blasphemia in Spiritum S. qui nihil egisset, prolata fuisset a Phariseis, si verum non erat absolute istud factum, quod scilicet virtute divina eiciebantur daemones: ergo absolute affirmavit Christus se in Spiritu Dei eiecere daemones.

Item Christus referentibus discipulis quod etiam daemonia subicerentur eis in nomine suo, respondit Luc. X, 18: Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem... verumtamen in hoc nolite gaudere quod spiritus vobis subiciuntur: haec vero est implicita affirmatio quod spiritus iis subicerentur, ut discipuli affirmaverant. Tandem Christus potestatem confert discipulis suis eiciendi daemones, eamque ita confert ut plane significet esse aliam a simplici potestate curandi infirmos. Matt. X, 18. Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eicite. Idem occurrit Marci XVI, 17. 18 signa eos qui crederint haec sequentur, in nomine meo daemonia eicient... super aegros manus imponent, et bene habebunt. Collatio autem potestatis eiciendi daemones est simul affirmatio obiecti circa quod haec potestas est exercenda. Simulque advertatur potestatem hanc collatam esse iis qui una cum ceteris iudeis putabant homines reapse a daemonibus identidem possideri, et per haec verba *daemones eicite* intelligebant liberationem pro-

prie dictam a Daemone. Christus ergo suis dictis et factis eandem quoad hoc expressit sententiam ac illam quae Iudaeorum animos occupaverat.

Itaque non restat nisi ut rationalistae dicant Christum accomodasse se huic errori Iudaeorum. Atqui haec in re nullus esse potest accomodationi locus. Haec enim limites suos habet. Nimirum haec tenenda sunt. α) Deus quoad modum significandi conceptus suos; debet se accomodare nobis, cum loquitur nobis; ratio est quia secus non intelligeretur. β) Deus nequit se accomodare hominibus affirmando esse id quod hominibus id videtur esse, cum id non est. Ratio est quia mentiretur; Deo autem mendacium metaphysice repugnat. Porro quod explicitè Deus nequit affirmare, id neque implicitè affirmare potest. Ratio est quia quod implicitè affirmatur, vere affirmatur, praesertim ab intellectu comprehensivo. γ) Deus non tenetur omnes veritates docere, omnesque errores dedocere. Hinc cum e. g. aliquid apparet obiective hominibus (αξιωματικόν) alio modo ac res se habet (ωραματικόν), potest Deus, de eo loquens nobis illud affirmare tantum sub eo respectu qui nobis apparet, nequit tamen affirmare rem ita reapse se habere. Ratio est quia in primo casu verum affirmat, licet non totum, quod quidem non tenetur; in altero casu falsum affirmaret. δ) Potest tandem Deus uti metaphoris cum eorum significatio est nota, non cum est ignota, nisi ipse tum indicet. Ratio est quia in primo casu potest intelligi quod vult significare, in alio casu vel intelligeretur nihil, vel falsum, quod eius quoque auctoritate freti homines crederent.

Iam vero phrases haec: *daemones eiecere, daemonum eiectionem* non metaphorice, sed proprie a Iudaeis et Apostolis accipiebantur: nunquam Christus significavit se eas metaphorice usurpare; Christus affirmavit rem ipsam et implicitè et explicitè, quae his phrasibus ab omnibus intelligebatur: ergo Christus affirmavit daemones esse eosque corpora hominum possidere; nullus ergo locus accomodationi.

2) Non pauca sunt adiecta huiusmodi liberationum a daemone ab Evangelistis narrata, quorum sententia negans possessionem proprie dictam daemonum, nullo modo potest rationem reddere, potest vero solum sententia affirmans. Et re quidem vera narrat Lucas IV, 41. quod exibant a multis daemonia clamantia et dicentia quia tu es filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui; et ibid. 34. 35. quod daemonium exclamavit dicens: sine, quid nobis et tibi Iesu Nazarenè? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei. Et increpavit illum Iesus dicens: obmutesce, et exi ab eo. Et cum proiecisset illum daemonium in medium; exiit ab illo. Iam vero daemonium in his factis est illud idem quod exit et quod clamat, clamat

autem Christum esse filium Dei; si autem daemonium est morbus aliquis, qui clamare exeundo potest! Rursus daemonia quae exeunt, queruntur Christum venisse ut eos perderet; an morbo vel etiam aegrotu haec lamentatio congruere potest! Item Matt. VIII, 29. et Luc. VIII, 30 Christus interrogat daemonium, quodnam sit nomen eius, respondet illud esse sibi nomen *Legio*, quia intraverant multa daemonia in eum. Tum haec daemonia rogant Christum ne imperet illis in abyssum ire, sed ut permittat eos ingredi in porcos multos qui ibi aderant: Christus permittit, et daemonia exeunt ab homine, et intrant in porcos. Porro hic rursus idem est qui interrogatur a Christo, qui respondet, qui orat ne mittatur in abyssum, qui exit ab homine, et cum exierit invadit porcos, eosque projicit in mare. An morbus interrogari et respondere potest? an ab uno corpore ad aliud transire potest? Respondent rationalistae haec omnia rationem sui habere in vitata hominis phantasia per quam homo se daemonium vel genium esse imaginabatur, cupiebatque in gregem ferri, et stragem edere porcorum, unde aastro agitatus dat gregem praecipitem. Verum praeterquamquod phantasiae perturbatio Christo quoque tribuenda foret, qui daemonium interrogat; evidens est hanc interpretandi methodum perversam proisus esse, unice huic rationi inniti daemones aut nullos esse, aut corpora possidere non posse, quod falsissimum est. Praeterea advertere poterant, quod si homo est qui morbo eo correptus dat gregem praecipitem, ipse profecto non fuit a Christo sanatus, saltem tum cum illum fuisse sanatum Evangelistae narrat consueta phrasi: *exierunt daemonia ab homine*, nam porcorum strages accidit post hunc exitum.

Iuvenit quoque animadvertere Evangelistas frequentissime distinguere inter ceteras infirmitates proprie dictas et malum hoc possessionis daemoniacae. Sane verba, quibus generatim utuntur pro significanda liberatione ab hoc malo, sunt *eiicere et eiectio*: quae aptissima sunt ad significandam liberationem ab aliquo invadente, minus vero apta ad significandam curationem morbi. Ita Math. X, 8. verbis propriis adhibitis omnia accurate distinguit: *Infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eiicite*. Cf. VIII, 16. Praeterea memoratis aliis infirmitatibus vocabulo communi, quo omnes comprehendi possent, addunt discrete mentionem eiectiois daemonium. Ita Marcus I, 34. Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus (*ῥοσται*), et daemonia multa eiiciebat. Id vero indicat eos habuisse haec tanquam duo diversa mala, morbos nempe, et daemones invasionem.

III. Igitur demonstratum satis est daemoniacos vere existisse. Interpretationes vero rationalistarum, qui huiusmodi phaenomena per

causas solum naturales explicare volunt, unum principium supponunt eique veluti innituntur, cuius veritate posita non immerito idem postularent ut eorum explanationes audiremus. At falsum est prorsus principium illud, quod impudentissime absque argumentoullo ab ipsis tanquam res exploratissima affirmatur. Principium est: nullos esse spiritus puros seu bonos seu malos, nullasque esse vires praeter eas quae hoc mundo visibili continentur; oportere idcirco phaenomena omnia per causas naturales explicare. Cum igitur id sit manifeste falsum, opus non est ut ineptas fabulas rationalistarum audiamus.

Tandem inepta est quaestio quorundam; cur modo adeo rari daemoniaci? Nam 1) hac nostra aetate (quod lugendum est) non sunt adeo rari, qui, licet alio modo ac praecedentes, sint vere daemoniaci. Omnibus autem aetatibus, vel hoc vel alio modo, vel pluribus simul modis, Daemon se manifestavit, hominesque vexavit. 2) Existentia daemoniacorum non est phaenomenon naturale ex causis necessariis procedens, sed liberum; libertas vero invadentis daemonis, vel permittentis Dei, nulla lege constantiae et universalitatis tenetur.

Thesis LXIV.

Testantur Scripturae honores divinos aucupari Satanam, idemque docent Patres, quorum haec est certa persuasio, idololatricam perversionem humani generis opus esse Satanae, qui numina invecit, cuius operatio se immiscuit in omnium gentilium sacris, qui oracula edebat, portenta, mira operabatur, ut homines deciperet sibi que cultum dicinitatis arrogaret.

I. Honores divinos aucupari Satanam, hominesque eo pertrahere ut sibi divini honores ab ipsis deferantur, manifestum est ex Scripturis. Haec enim tradunt 1) Diabolum hos honores absque ulla ambage postulasse a Christo. Matth. IV, 9. Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me, cui Christus respondit: *Vade Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*. 2) Cum Scriptura doceat Satanam esse qui universum orbem seducit, qui excaecavit mentes infidelium, et ex Diabolo esse omnes qui peccant; dubitandum non est quod per suggestionem ipsius idola in mundum invecita fuerint. In his autem idolis Diabolum voluisse se ipsum coli, sibi que eos honores vindicasse, ex Scripturis rursus docemur. Nam ipse erat qui in idolis responsa edebat; idola enim consulebantur.

tur, ut patet ex Ezechiele XXI, 21, et 4. Reg. I, 2; Beelzebub autem, qui in hoc altero loco nominatur, Deus Accaron, qui ab Ochozia consulitur, Daemoneum esse qui responsa edebat, sive in eo idolo responsa edidisse Daemoneum, persuadet ratio loquendi tum hebraeorum qui principem daemoniorum vocant nomine Beelzebub, tum Christi, qui ipsum Beelzebub et principem daemoniorum et Satanam appellat. Cum ergo adorarentur idola eo quod oracula edorent; ille reapse adorabatur, et in ipsis adorari volebat qui oracula edebat, scilicet Diabolus. Item ex Scriptura constat existitisse ariolos, divinos, pythones, mira facientes. Osee IV, 12: Levit. XX, 27; Denter. XVIII, 10. 11. Actor. XVI, 16; 1 Reg. XXVIII, 7. seq. Exod. VII, 11. 22; VIII, 7. Atqui horum incantationes, divinationes, maleficia, non nisi a Diabolo proficisci poterant; qui umbratili quadam divinatione et mirorum effectione evertere volebat homines a cultu veri Dei, qui potissimum praedictione futurorum, et miraculorum operatione dignoscitur atque sibi hunc cultum iis miris sibi proinde vindicare satagebat. Praeterea testatur Paulus quod quae immolantur idolis, immolantur daemoniis; ait enim 1. Cor. X, 19. 20. 21. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant et non Deo. Nolo autem vos socios fieri daemoniorum: non potestis calicem Domini bibere et calicem daemoniorum; non potestis mensae Domini participes esse et mensae daemoniorum. Daemonia distinguuntur haec ab idolis, quae nihil esse in mundo docuerat iam c. VIII, 4; et quod a gentibus immolatur, immolari reapse daemoneibus docet Paulus, quibuscum proinde communicant, qui de sacrificiis gentium participant. Quibus cohaeret quod Deut. XXII, 17 dicitur: immolaverunt daemoniis et non Deo, diis quos ignorabant; et quod Psal. XCV, 5 Propheta ait: Omnes dii gentium daemonia, ex quibus verbis (licet ut sunt in textu hebraico nihil forte efficere possis, habet enim אֱלִילִים vanitates, idola, tamen) discis, quid septuaginta opinarentur, seu quaenam, aetate huius versionis, fuerit opinio Iudaeorum, quibus perinde erat colere idola ac colere daemonia. Cf. Levit. XVII, 7, 2. Paralip. XI, 15; et Bocharum Hierozol. L. II. c. 53. Atqui ut dici possit quod daemones h. e. spiritus mali in idolis a gentibus adorabantur, quae profecto idola sua sub hac ratione, generatim saltem, non colebant, necesse est ut non tantum Diabolus ad idolorum cultum homines induxerit, sed ut in iis idolis et per ea ipse signa illa ederet, propter quae cultus illis conciliabatur; quo fieret, ut cum ille coleretur qui ea signa ederet, Diabolus reapse coleretur. Quapropter Diabolus tandem vocatur a Paulo 2. Cor. IV, 4. Deus huius seculi, ille scilicet qui ab infidelibus colitur, qui divinitatis honores sibi arrogavit.

Evidens est ex his omnibus diabolum huc spectasse ut principatum quemdam in homines exerceret, tyranni in morem eos sibi subiciens. Unde infideles vocatur eius *captivi* 2. Tim. II, 26; ipseque *Princeps huius mundi* vocatur a Christo Ioan. XII, 31.

Ut hoc tyrannicum imperium everteret Christus venit in mundum. Nunc princeps huius mundi eicitur foras: et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, ait Christus Ioan. XII, 31. 32. Hinc Christus dicitur per mortem destruxisse eum qui mortis habebat imperium, idest Diabolum Hebr. II, 14; expulsiase principatus et potestates Coloss. II, 15; et redempti a Christo dicuntur erepti de potestate tenebrarum Colos. I, 13; et in hoc apparuisse dicitur Filius Dei ut dissolvat opera Diaboli 1. Ioan. III, 8; ut eius caput conterat Gen. III, 15. Quocirca corollarium in modum inferri legitime debet, eum qui Diaboli existentiam neget, opus redemptionis quoque negare; sic enim istud opus in Scripturis representatur, venisse nimirum Christum ut Diaboli imperium destrueret, et eius opera dissolveret, at inanis est adventus iste, si Diabolus non est, nec ulla proinde Diaboli opera, nullumque eius imperium.

II. Nunc audiamus Patres. Ex veteribus Iustinus Apolog. 1. n. 27. ait: « Apud unumquemque eorum, quos existimatis, Deorum, magnum symbolum ac mysterium serpens recensetur. » n. 28. « Apud nos princeps malorum daemoneum serpens vocatur et Satanas et Diabolus. » Porro in Dialogo cum Tryphone n. 69; Diabolum ait imitantem ea quae in divinis Scripturis traduntur, invexisse numina. « Probe scias, Trypho, quae corrupti ille qui dicitur Diabolus, atque effecit ut apud graecos narrarentur, quemadmodum et per magos in Aegypto, et per falsos prophetas tempore Eliae operatus est, ea firmam reddidisse meam in Scripturis intelligentiam et fidem. Quando enim Bacchum Iovis filium ex concubitu, quo cum Semele is mixtus est, natum esse dicunt, et hunc inventorem vitis fuisse, et discerptum mortuumque resurrexisse, et in caelum ascendisse perhibent, et vinum (ὄνον, al. l. ὄνον asinum) in eius mysteria inducant; nonne illam antea recitatum Iacobi prophetiam, a Mose literis mandatam (Gen. XLIX, 11. 12), a Diabolo imitatione expressam esse intellexerim? (Num autem Herculem fortem fuisse, et universam terram peragrasse dicunt eundemque Iovi ex Alceone natum, et post mortem in caelum ascendisse, nonne Scripturam illam: fortis ut gigas ad currendam viam suam, de Christo editam, similiter eum imitatum esse intellexerim? » et ita porro. In quibus velim duo distinguas, nempe 1) Diabolum auctorem fuisse hominibus, ut numina inducerentur; atque 2) haec numina ex Sacris Scripturis corruptis Diabolum expressisse.

Primum a Iustino potius supponitur tanquam evidens. Iulius Firminus Maternus de errore prophetarum religionum ad Imperatores Constantium et Constantem. c. 27 ita Diabolum qui Evam seduxit, alloquitur: « Tunc parabas tibi et tuis templa, et delubra faciebas... Serpis in templis et occisurum bestiarum misero pasceres sanguine... Tu haec faciens hominibus te prodesse miseris iactas, ut crudelitate tua perimas, persuasione decipias, pollicitatione prosternas... fugite, o miseri homines... Draco est qui colitur... Deos istos, quos colitis, ipse finxit, ipse composuit. » Teodoretus Curat. Graec. Affect. Orat. VII. « Iocosi ferme sunt ac ridiculi plerique omnes mortaliū; neque illis est cordi studiosum vitae genus et grave, sed fluxum potius ac remissum. Quo factum est ut illas facillime in potestatem suam redegerit pessimus Daemon... Hoc itaque pacto cum in servitutem illas redegerisset, primum quidem abolendas curavit, quas de universorum Deo natura illis opiniones ab initio inscripsit: deinde perversa de falsis diis dogmata tradidit, et ingentem falsorum deorum turbam pro vero Deo adorare docuit, perditissimae vitae hoc fundamentum ac basin constituens. » Atque ita plures alii Patres loquuntur, quos in re minime dubia non est pretium operae recitare.

III. Iam vero notum est cultus idololatriae partes potissimas fuisse oracula, quae a pluribus numinibus edebantur, item anguria atque etiam haruspicia, nec non portenta quaedam quae subinde contingebant. Sunt qui velint haec omnia non fuisse nisi sacerdotum aut callidorum hominum fraudes et imposturas. Verum, licet demus quod aliquando atque etiam saepe fraudulentum homines technis suis alios deciperent; negamus tamen generatim haec ab astutia hominum tantummodo proficisci potuisse et propagari, quin a tanta multitudinē hominum, quorum maxime intererat haec nosse, tam longa aetate error detegeretur. Et sane fieri moraliter non potuit ut homines adeo adhaerent cultui idolorum, nisi quibusdam miris decepti in eo detinerentur; praesertim cum tam nefarias solemnitates, tam inhumana sacrificia, tum puerorum, tum virginum postulerent numina sua. Si oracula e. g. non erant nisi Sacerdotum imposturae, cur praedicto Evangelio, cum eius doctrina eiusque sectatores a Gentilibus et potissimum a Sacerdotibus impugnantur, oracula penē omnia conticebant, et muta facta sunt praesentibus Christianis? Profecto tunc maxime sacerdotum intererat oracula fundere, ut fidem suis idolis conciliarent. At e contrario silentium oraculorum et generatim praestigiarum cessatio tanquam argumentum affertur a Patribus de Victoria Christi in daemones? Si ergo oracula defuerunt, invitus Sacerdotibus, argumentum est certissimum alium fuisse eorum auctorem, illum scilicet quem Christus foras eiecit ex hoc

mondo. Et re quidem vera Patres, de quorum sententia hic agimus, qui ea aetate vivebant, quorum plures ex idololatria ad Christum accesserant, haec mira, quorum ethnici gloriabantur, et quae subinde Christianis obiciebant tanquam signa verae religionis, haec, inquam, mira Patres non negant, sed explicare conantur, ostendentes quod ea non Dei sed daemones sunt opera, daemones qui idola invexerat ut ipse in eis coeleteret.

Proferamus quaedam testimonia ex quibus, quae dicimus manifeste fiunt. Itaque Irenaeus l. V. c. 24. « Diabolus apostata existens Angelus hoc tantum potest quod delegit in principio, seducere et abstrahere mentem hominis ad transgredienda praecepta Dei, et paulatim obcaecare corda eorum qui conantur servire ei, ad obliviscendum quidem verum Deum, ipsum autem quasi Deum adorare. » Talianus oral. cont. Graecos: n. 12. « Istos (Daemones) adoratis o Graeci... Sua enim ipsorum stultitia, ad inanem gloriam conversi, fraenice excussis, latrones Divinitatis fieri coacti sunt. » Auctor quaestionum et responsonum ad orthodoxos, qui sec. V vixisse creditur, quaestioni secundae propositae ita: cum et prophetae et oracula gentium praedixerunt ea quae deinceps evenerunt, unde cognosci potest praedictiones priorum esse praestantiores: respondet non negando factum, sed affirmando quod utriusque generis praedictionum auctor est idem Deus. Ex qua responsione persuasio liquet huius facti qua scriptor ille tenebatur. Cf. et q. 24. Minucius Felix in Octavio c. 26 refert oracula numinum quae fuerunt veridica. Respondet primum: « quamquam inter multa mendacia videri possit industriam casus imitatus, aggrediar tamen fontem ipsum erroris et pravitatis, unde omnis caligo ista manavit, et altius erueret, et aperire manifestius. Spiritus sunt insinceri et vagi... Eos spiritus daemones esse Poetae sciunt... Magi quoque quidquid miraculi induunt, per daemones faciunt. Illis adspirantibus et infundentibus praestigias edunt... c. 27. Isti igitur impuri Spiritus, daemones, et status et imaginibus consecrati delitescunt, et afflatu suo auctoritatem quasi praesentis numinis consequuntur, dum inspirantur interim vatibus, dum fanis immorantur, dum nonnunquam extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt falsis pluribus involuta: nam et falluntur et fallunt... nidore altarium, vel hostiis pecundum saginati, remissis quae constrinxerant curasse videntur. » Eadem habet isdemque verbis s. Cyprianus De Idolorum vanitate, cum causam reddit cultus numinum. Iustinus rursus in Apolog. 1. n. 14. Ne supra exagitati a nobis Daemones vos decipiant, atque ab his quae dicimus omnino legendis et intelligendis evertant, cavendum vobis denunciamus. Contendunt enim

summpere ut vos servos et ministros habeant; ac nunc quidem per somniorum visa, nunc per magicas praestigias eos omnes capiunt, qui de sua salute nihil laborant. Quemadmodum et nos postquam Verbo credidimus, ab istis quidem descivimus, ac solum Ingentium Deum per eius Filium sequimur: et qui olim stupris gaudebamus, nunc castimoniam unice amplectimur; qui magicis etiam artibus utebamur, bono et ingenuo nos consecravimus Deo. » Origenes contra Celsum l. III, n. 2. 3. ait, necesse fuisse quod Iudaei aliquos vates domi haberent, quos consulerent, ne alioquin traherentur ad externa numina quae oracula proferebant. Necesse pariter fuisse, ut apud ipsos miracula fierent, ne allicerentur iis quae passim fiebant inter gentes; secus statim descivissent a Deo suo. Deos vero gentium ait esse daemones secundum illud: omnes Dii gentium daemonia. Athanasius De Incarn. Verbi nn. 46. 47. 48, ex cessatione oraculorum aliarumque praestigiarum arguit Christum esse Deum qui Diabolum eiecit. « Quando apud graecos, et ubique gentium oracula cessaverunt, et in nihilum sunt redacta, nisi cum usque ad terram se manifestavit Dominus... Olim quidem ubique Delphica, Dodonaea, Boeotica, Lycia, Aegyptiaca, Cabyrorum oracula imposturis vaticiniorum scatebant, Pythia apud homines in admiratione erat, nunc ex quo Christus praedicatur hae vesaniae conquiescent... Veniat qui horum experimentum capere velit, et in ipsis praestigis daemonum, et imposturis vaticiniorum, et miraculis magiae utatur signo crucis ab ipsis deriso, nomenque Christi invoctet, et videbit eius metu daemones fugere, vaticinia tacere, magias irritas esse. » Augustinus de Civit. Dei l. X. c. 8. « Ad hoc Magi Pharaonis facere quaedam mira permissi sunt, ut mirabilibus vincerentur. Illi enim faciebant beneficis et incantationibus magicis, quibus sunt mali Angeli, h. e. Daemones dediti; Moyses autem tanto potentius quanto iustus, in nomine Domini qui fecit caelum et terram, servientibus Angelis, eos facile superavit. » Et lib. XXI. c. 6. De isto fano Veneris, et lucerna inextinguibili (quae ut miraculum a gentilibus proponebatur adversus Christianos) non solum in nullas coercetamur angustias; verum etiam latitudinis nobis campus aperitur. Addimus etiam ad istam lucernam inextinguibilem, et humanarum et magicarum, id est per homines daemonicarum artium, et ipsorum per se ipsos daemonum multa miracula. Quae si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, sacrarum literarum adversabimur veritati. » Explicat deinceps quomodo haec mira patrarī a daemone possint. Cyrillus Alex. in Oseea. c. IV ad verba: In symbolis interrogabant et in virgīs suis annuntiabant ei, ait: « in symbolis interrogabant h. e. per signa quaedam et observationes ab impuris spiritibus discere conabantur. Aut enim fruges o sacris

focis exsidentes considerabant, quo et quomodo prosilirent, aut palpitationes iecinoris speculabantur, aut certe volatus avium curiose observabant. Auspicia porro et divinatoria, et huiusmodi mala ex intimis idololatriae visceribus promanant. Et in virgīs annuntiabant. Hic est alter fallaciae modus, et inventum ni fallor Caldaeae curiositatis (citat. Exechielem XXI, 21). Duas virgas stantes, deinde arcanis quibusdam verbis eas incantantes, ut agente diabolo proci-derent, cadentes observabant utrum ante an retro, in dextram an in sinistram ferrentur. » Cf. Hieronymum in eundem Oseea locum. Chrysostomus hom. XX, in 1. Corint. VII, 4, in illud: scimus quia nihil est idolum in mundo; ait: « Non sunt ergo idola? non sunt statuae? Sunt quidem, sed nullam habent vim: neque dii sunt, sed lapides et daemones. » Eusebius Praepar. Evangelicae l. IV. cc. 1, 2, 3. disserit de oraculis. Praemitit sententias aliorum quorundam philosophorum, qui cecebant ea esse tribuenda artibus hominum maleficorum, quod etiam pluribus suadet, atque ita primam hanc partem concludit dicens posse se refellere hoc modo famam oraculorum. Verum omissis peripateticorum interpretationibus, et e sua sententia loquens, subdit aliam viam inveniendam sibi arbitrari. « Dabimus enim eos qui vaticiniorum fidem asserunt, ut ex eorum ipsorum confessione... integrum eorum, quae preferuntur, et accuratam notitiam hauriamus. » Libro autem 5. c. 1. oracula opus fuisse daemonum docet, eaque siluisse praedicato Evangelio: « Adde emortua poene oracula daemonum, et vaticinia conticuisse », quod et testimonio Porphyrii probat aientis: « Ex quo coli lesu caeptus est, communem ac publicam Deorum opem nemo sensit. » Tum c. 2. declarans originem imposturae Daemonum, ait eos in aere versantes cum viderent homines consecrasse sepulchra mortuorum, et vacare sacrificiis, sese iis insinuassee mortuorum simulacris, quae consecrata erant in defunctorum honorem, et oraculis deceptisse homines, insuper addendo curationes ab iis malis, quae ipsi intulerant (cf. Sapientiam 14. 15. seq.). Rursus capite 4 allato testimonio ex Plutarcho, de oraculorum defectu, probat oracula opus esse improborum daemonum. Tum. cc. 12. et 13 significat deos ipsos docuisse homines, quibus ritibus coli vellent, et imagines ipsas simulacrorum designasse. Idem repetit in l. IV. c. 9. demonstrat. Evang., daemones nempe fuisse auctores praestigiarum, idem in Panegyrico Constantino. 9. (cf. Balthus Suite au response etc. c. 4.). Theodoretus Curat. graecarum affectionum Orat. 10, ait quod « Daemones se ipsos Deos appellarunt, et ut arceptam tyrannidem confirmarunt, futura etiam se nosse ac praedicere gloriantur... quam ob rem fallaciae officinas ubique terrarum erexerunt, et divinatorias praestigias excogitarunt, eos qui ex farina

(ἀλευρομαντεῖς) ex pectore (σπερνομαντεῖς) ex mortuis (νεκρομαντεῖς) valincantur; et Castalae fontem, et Colophonium fluentem, et sacram quercum, et Dodonaeum tintinnabulum, et tripodem Cirraeum, et Thesprotium lebetem. » Deinde refutatis oraculis ex ipsa auctoritate plurimum philosophorum, subiungit « Nobis sufficit rerum ipsarum testimonium, quod quidem vocalissimum est. Ante adventum quippe Domini Salvatoris nostri, quadam veluti nebula obtegente terras, infesti hominibus maligni spiritus, veluti sicarii quidam grassatoresque, insidias ea laqueis utebantur, omni retium genere naturam humanam captantes. Postquam vero lux veritatis exorta est, in fugam se dederunt universi, et sui deseruerunt oracula. Itaque cum apparuisset, exclamarunt: sine, quid nobis et tibi Iesu, Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos. » Tertullianus Apolog. nn. 21, 22. « Monstravimus vobis idoneos testes Christi illos ipsos, quos adoratis... Dicimus substantias esse quasdam spirituales, nec nomen novum est. Sciunt Daemones Philosophi, Socrate ipso ad daemonii arbitrium expectante... Operatio eorum est hominis eversio... Aspiratio daemonum et angelorum, mentis quoque corruptelas agit furoribus et amentis foedis, ac sacris libidinibus, cum erroribus variis, quorum iste potissimus, quo deos istos captis et circumscriptis hominum mentibus commendat, ut et sibi pabula propria nidoris et sanguinis procureret simulacris imaginibus oblata. Et quae illis accuratio pascua est quam ut hominem e recogitatu verae divinitatis avertant praestigis falsae divinationis?... Quid de ceteris ingenii, vel etiam viribus fallaciae spiritalis edisseram? phantasmata Castorum, et aquam cribro gestatam, et navem cingulo promotam, et barbam tactu irruflatam, ut namina lapides crederentur, et Deus verus non quaereretur. Porro si et magi phantasmata edant, et iam defunctorum infamant animas, si pueros in eloquium oraculi elidunt, si multa miracula circulatoris praestigis ludant, si et somnia immittunt, habentes semel invitatorum angelorum et daemonum assistentem sibi potestatem, per quos et caprae et mensae divinare consueverunt; quanto magis ea potestas de suo arbitrio et pro suo negotio studeat totis viribus operari quod alienae praestat negotiationi? » Quibus consona habet Iustinus Apolog. 1. n. 48. « Νεκρομαντῆται (ἀδικηθῶρων παιδῶν ἐποπτεῦσαι), animarum humanarum evocationes, et qui apud magos dicuntur somniorum immissores et assessores, et quae a peritis earum rerum fiunt, persuadeant vobis animas etiam post mortem sensu praeditas esse, et qui ab animabus mortuorum correpti proficiuntur, daemoniaci et furiosi ab omnibus appellati, et quae dicuntur apud eos oracula Ampliochii, Dodonae,

et Pythiae, et quaecumque alia eiusmodi. » Scilicet probare volens Iustinus animans post mortem superesse, provocat ad haec facta quae tribuit animabus separatis: quae tamen est eius singularis sententia, improbata diserte a Tatiano, qui oratione contra Graecos n. XVI. ait: « Daemones qui hominibus imperant non sunt hominum animae. Quo enim pacto efficaces etiam post mortem fuerint? Nisi forte homo, quamdiu vivit, insipiens et invalidus est, mortuus efficaciore creditur praeditus potestate... Perdifficile est existimare animam immortalem, quae corporis membris impeditur, sagacior fieri, cum ex eo migraverit. »

IV. Nec omittunt explicare Patres quomodo haec peragere Daemones possint. Itaque Tertullianus op. cit. c. 22. quas, ait, (praestigias) quomodo operentur expediam. Omnis Spiritus ales, hoc et Angeli et Daemones. Igitur momento ubique sunt. Totus orbis illis locus unus est; quid ubi geratur tam facile sciunt, quam emanant. Velocitas divinitas creditur, quia substantia ignoratur. Sic et actores interdum videri volunt eorum quae annuntiant: et sunt plane nonnunquam, bonorum tamen nunquam. Dispositiones etiam Dei et tunc prophetis concionantibus exceperunt, et nunc lectionibus resonantibus carpunt; ita et hinc sumentes quasdam temporum sortes aemulantur divinitatem, dum furantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperent in eventus, sciunt Craesi, sciunt Pyri... Habent de incolatu aeris, et de vicinia siderum, et de commercio nubium, caelestes sapere paraturas, ut et pluvias, quas iam sentiunt, reprovocant. Beneficii plane et circa curas valetudinum; laedunt enim primo, dehinc remedia praecipiant, ad miracula nova, sive contraria, post quae desinunt laedere, et curasse creduntur. » Hoc postremum audivimus etiam ab Eusebio loco superius citato. Augustinus De Divinatione Daemonum cc. 3. 6. rationem et ipse reddit cur possint daemones praedicere quaedam futura, quia corporis aerei (loquuntur in hypothesi Angelorum corporatorum) sensu terrenorum corporum sensum facile superant, celeritate etiam, propter eiusdem aerei corporis superiorem nobilitatem non solum cursus quorumlibet hominum vel ferarum, verum etiam volatus avium incomparabiliter vincunt. Addit longe maiorem experientiam per tam longum tempus vitae suae sibi comparasse. Docet pariter per has efficacias quas aerei corporis natura sortita est, facere eosdem etiam multa mira. Atque eos plerumque ea praenuntiare quae ipsi accepta a Deo potestate facturi sunt. Tamen aliquando falluntur et fallunt, quia ex improvviso desuper iubetur quod eorum consilia perturbat. Fallunt etiam studio fallendi, et invida voluntate. Auctor iam citatus qq. ad Orthodoxos. q. 26 ita distinguit miracula Moysis et magorum: « edita

quidem a Moysae miracula, utpote divina vi facta, per mutationem fiebant naturae rei ante oculos positae in naturam eius quae effliciebatur: quae vero ab incantatoribus edita sunt, fiebant ope daemonum, qui praestigis decipiebant oculos spectantium, ut quasi serpentes adspicerent qui non erant serpentes, et quasi sanguinem qui non erat sanguis, et quasi ranas quae non erant ranae. »

V. Facili analysi instituta horum testimoniorum, manifestum fit quod probandum sumpsimus, persuasos fuisse Patres, Daemonis operationem gentilium sacris se immiscuisse, ipsum in idolis adorationem sibi conciliasse, ab eo oracula, auguria, auspicia, mira profecta esse, quibus hominibus illuderet, cultumque idolorum persuaderet. Docent quidem Patres oracula gentilium et divinationes plerumque exitu caruisse, at non negant factum, Daemonisque operam, imo falsitatem oraculorum ipsi Daemone attribuit. Quocirca ut demonstrent nihil ex iis ceterisque praeter naturae ordinem manifestationibus colligi posse pro defensione cultus idolorum, non ea methodo utuntur, ut ea facta simpliciter negent, probentque reapse falsa esse, quae methodus fuisset expeditissima et opportunissima; sed comparatis simul praedictionibus et miraculis Christianismi cum oraculis et portentis Gentilium, illa quidem veri Dei signa, haec mali spiritus praestigias esse demonstrant. Quod quidem evincunt ex pluribus praedictionibus falsis; ex eo quod mira, quae fierent, vim naturae spiritualis creatae nunquam excederent; quod per incantationes et veneficia fieret mira; quod flagitia omnia et impiissimae doctrinae rationis lumini manifestissime adversa per ea suaderentur: et quod cum Christus aut Christianus in conflictum veniret cum auctore earum praestigiarum, et contenderet Christianus Christum esse Deum, esse autem Diabolum qui in idolis operaretur, et huius veritatis argumentum exhiberet silentium Daemonum, vel eorum egressum e corporibus vel etiam confessionem eiusdem veritatis extortam a Daemone, haec reapse signa contingerent Diabolo nempe cedente, suamque impotentiam manifestante.

Iam super hac re audivimus Athanasium; audiatur etiam Tertullianus Apolog. 23. « Edatur hic aliquis sub Tribunalibus vestris, quem Daemone agi constet. Inussu a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se Daemonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso. Aequè productur aliquis ex iis, qui de Deo pati existimantur, qui aris inhalantes nomen de nidore concipiunt, qui rutando curantur, qui anhelando profantur. Ista ipsa Virgo caelestis pluviarum pollicitatrix, iste ipse Aesculapius medicinarum demonstrator, alia die moriturus Socordio et Thanatio et Asclepiodoto vitae sumministrator, nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri

non audentes, ibidem illius Christiani procacissimum sanguinem fundite. Quid isto opere manifestius? Quid hac probatione fidelius? » Ita et Cyprianus De Idolorum vanitate « Hi tamen (Daemones) adiurati a nobis per Deum verum, statim cedunt, et fatentur, et de obsessis corporibus exire coguntur: » et ad Demetrianum « veni et cognosce vera esse quae dicimus. Et quia sic Deos colere te dicis, vel ipsis, quos colis, crede... Videbis sub manu nostra stare vincetos, et tremere captivos, quos tu suscipis et veneraris ut Dominos. » Ita et Pionius martyr, in Actis sui martyrii, ut probet Christum purum hominem non esse qui per vim sit mortuus, ait in quadam responsione: « Dicite, quaeso, cuius hominis discipuli, qui sit per vim mortuus, daemones per tot annos eiecerunt, facturique sunt? » Lege Augustinum in opere de div. daemonum iam citato.

Cf. quae dedimus in Inst. Phil. Pneum. Thh. XII, XIII, XIV.

CAPUT III.

DE LAPSU ORIGINALI HUMANAE NATURAE

ARTICULUS I.

DE EXSISTENTIA PECCATI ORIGINALIS

— 223 —

« In causa (ait Augustinus de pecc. origin. c. 24) duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam... in horam duorum hominum causa proprie fides christiana consistit. » Fides scilicet christiana est proprie fides in Christum (quae et fidem Trinitatis includit); sed in Christum crucifixum h. e. humani generis oblatione sui in cruce salvatorem et redemptorem, qui peccatum mundi tollit et consequentia pariter, quae propria admittuntur voluntate, peccata. Cum ergo fides in Christum redemptorem sit quoque fides de lapsu totius naturae per peccatum protoparentis, quo seposito illa amplius non habet locum, verissime dictum est in causa duorum hominum, Adami veteris et Adami novi fidem christianam proprie consistere. Quod quidem ab initio volumus monere, ut intelligatur quanti momenti sit quantaque necessitatis sequens tractatio de peccato originali, quantaque cura entendum sit ut dogma catholicum hac de re vindicetur et explicetur, a quo dogmate dependet vera intelligentia